

*quem* vertendum est, quia præcedit *gladius* in sing. 2) inserit *mittam* ego, quod superfluum, uti apertum. 3) inserit *inquam*, quod etiam ineptum, quod patet lectori. 4) distinguit *ego*, quod contra accentus. 5) *mittam inter vos* conjungit, etiam contra accentus. Unde hoc? ex falsa ejus hypothese, quod putat omnes distinctivos exhibere conceptus logicos. Videbat in voce *quem* distinct. minorem —, quem commate expressi; Sed Fr. addit, *mittam*, ut conceptum logicum secundum falsam hypothesein reciperet. In voce *mittam*, observabat — distinct. minorem hinc addebat *inquam*. Sed his supplementis carere possumus, si lector voces in lectione legat, prout distincta sunt. Sed quo fundamento nituntur duo illa commata? R. in dictamine oratorio, quia lector gladium, ad quem pronomen respicit, & vocem *mitto* distinctius pronuntiare, & firmitus auditorum animis imprimere voluit. Hoc loco non observatur dictamen grammaticum, quia *quem* fuisset cum sequenti conjungendum, sec. Diacr. p. 7r. Sic quoque *mitto inter vos* posset connecti, quia voces construuntur. Sed neutrum fecit Punctator, quia voces, *quem* & *mitto* distinctius pronuntiare voluit. Si cum! Fr. quæris cur? R. quia lector has voces præ reliquis auditorum animis imprimere voluit. Oratorium itaque Dictamen admitendum! est, quia Logicum & Grammat. h. l. deficit. Addam aliud exemplum ex Jer. XXVI. 5.

*Ut auscultetis.*

*verbis, servorum meorum prophetarum:*

*quos ego, mitto ad vos:*

Vides quos ego conjunctum, & quem ego antea distinctum. Porro *mitto ad vos* conjungitur, cum antea *mitto inter vos* distinctum esset. *Ego, mitto* sunt distincta, quæ logica conjungere jubet. Unde hoc? ex libertate punctatoris. Sed inquit Fr. p. 41. hoc *arbitrium ἀλογον* esse quis dixerit, nisi ἀδυστοχία! sed hoc arbitrium a Cl. Viro nullibi ἀλογον dictum est. Si enim Auctor accentuum, neque dictamen gram. neque logicum attendit, attendit tamen dictamen rhetoricum quod vocem fortius auditorum animis imprimit. Hoc elocutionem gratam reddit, & decoram, de qua Vir Cl. in omnibus paginis. Addam simile, quod sæpius

pius